Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Pastorum Sive Instructio Practica Neoparochorum

Dirckinck, Johann

Treviris, 1702

Caput. 27. De captivornum confortatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-51873

Visual Library

illatas injurias nihili faciendo. *Benefacite his, qui oderunt vos, orate pro calumniantibus & perſequentibus vos; ſic carbones ſuper eorum capita congeretis:* & eritis *Filii*, genuini, *Patris veſtri, qui in cœlis eſt.*

CAPUT XXVII.

De captivorum confortatione Paſtorali.

HOc nobile obſequium charitatis Chriſto valde gratum eſt: unde ait: *Quamdiu uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis* Matth. 25. *Et in carcere eram, & veniſtis ad me.* Ibidem. Deinde utile eſt, Paſtori, ob ingens meritum, & ipſi captivo ob ſqualorem carceris, aliáſque moleſtias & graves tentationes ejus propulſandas. Quare Parochus

1. Captivum diſponat ad pœnam captivitatis fructuosè ſuſtinendam: ſalutet primùm, captet benevolentiam, nonnullas quæſtiones præmittat, ac tum doceat. 1. Ut juſtitiam ac providentiam divinam agnoſcat, & veneretur,

neretur, eidem juſtitiæ ſe ſubjiciat & pœnam carceris magna cum æquitate ſuſcipiat, atque ut cum fructu id faciat, per contritionem aut confeſſionem in ſtatu gratiæ ſe collocet. 2. Perſuadeat ei, nihil in hoc mundo accidere caſu, quod à ſapientiſſima Dei providentia non ſit ordinatum aut permiſſum. 2. Oſtendat Deum juſtiſſimum eſſe, atque etiam benigniſſimum, ex quibus facilè Captivus, Dei juſtitiam & provitentiam agnoſcet & dicet cum Davide. *Juſtus es Domine & recta judicia tua* Pſal. 118. 4. Demonſtret tanti mali cauſam potiſſimam eſſe peccatum, quare ut obediens filius agnoſcat paternam charitatem & virgam & cum patientia toleret. Præeátque Paſtor in affectus contritionis, reſignationis, patientiæ.

2. Paſtor captivum occupet. S. Hieronymus ep. 4. *Facito aliquid operis, ut te ſemper Diabolus inveniat occupatum.* 1. Igitur laboret aliquid ex quo lucellum capiat. 2. Legat

aliquid pii, ex Heliotropio Drexelii, æternitate, cœlo, rogo damnatorum Gymnaſio Patientiæ, Vogleri Troſt-Brun/ Saraſa de arte ſemper gaudendi, vitis Sanctorum Surii. 3 Oret roſarium, litanias, pſalmos, officium B. V. variáque emittat pia ſuſpiria per diem, quæ doceat ipſum Paſtor. Oret manè, vеſperi, item in dies aliquid pro felici morte. Denique ſingulis horis poſſet recolere aliquod myſterium paſſionis.

3 Paſtor muniat eum contra tentationes, quarum 1. Oritur ex ſolitudine & incluſione, animet illũ exemplo SS. Martyrum, & aliorum qui ultro amore Chriſti in angulos & cellulas ſe incluſerunt. Eritque cauſa multorum bonorum. O beata ſolitudo! ô ſola beatitudo! 2. Oritur ex fœtore carceris: rurſum animet illum exemplo Chriſti & SS. Martyrum; & quia infernus, quem meruit, multò eſt tetrior. 3. Oritur ex infamia. At quam hæc exigua, ſi conferatur cum infa-

infamia Chriſti & innumerabilium Martyrum? 4. Ex odio erga inimicos, aut captivitatem cauſantes, contra hanc, Exemplum Chriſti pro inimicis orantis ſerviet, oſtendatúrque non eſſe jam tempus iraſcendi & vindicandi; ſed ignoſcendi 5. Ex timore damnationis ad mortem & ſupplicii. Oſtendatur timorem, ante tempus, eſſe inanem, & fortè liberandum eſſe & abſolvendum, Magiſtratus nihil decernet, niſi quod Deus jam ab æterno in juſtiſſimo ſuo conſiſtorio concluſit. Nec Deus permittet tentari ſupra vires.

Ante ſententiam fatalem, Paſtor ſæpe reum inviſat, inſtruat, tentationibus occurrat: Sed ante ſententiam, non excipiat ejus confeſſionem, ne timore ſupplicii, peccatum reticeat, hortetur tamen ad preces, det libellos pios legendos. Non ſuſcipiat in ſe vitæ ſervandæ aut ſupplicii remittendi patrocinium; ſic enim ob ſpem liberationis, non diſponeretur bene ad

mortem; poterit tamen in genere promittere ſe nihil omiſſurum, quod in commodum cedere poſſit: hortetur, ut hoc tempore bene utatur ad ſalutem. Poſt ſententiam latam, animet eum, ad illam æquo animo ſuſcipiendam; Sacramenta confeſſionis & Euchariſtiæ ſuſcipiat: & cùm mors in pœnam ſubeunda ſit, levis pœnitentia injungi poteſt. Tempore ſupplicii & productionis Rei, in via oret, obvios non aſpiciat; varios fidei, ſpei, contritionis actus eliciat; in loco ſupplicii, ſi opus, iterum abſolvatur, & pacato, reſignatóque animo, ictum gladii vel reſtem ſuſcipiat. Poſt mortem Rei, parochus præſentium preces expoſcat. Domum redux Deo pro felici ſucceſſu gratias agat, amicos & ſanguine junctos ſoletur, & animam, eorum precibus commendet.

CAPUT XXVIII.

De Paſtorali ægrorum & moribundorum viſitatione.

Hæc

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN